



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Virtvtes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Cap. 2. De excommunicationis causis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80695](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80695)

bus, nempe fidelium consortio, Sacramentorum participatione, & communibus Ecclesiae suffragiis. Vnde Excommunicatio idem est, ac Extra Communione.

³ Quae quidem triplex esse potest. Prima est spiritualis mere interna, nempe communicatio in gratia, & charitate, per quam sibi inuicem fideles communicant. Secunda est mere civilis, ut confabulatio, salutatio mutua, communis mensa. Tertia est partim externa, ut participatio Sacramentorum, usus Sacrificii, & communio in aliis Officiis, ac rebus Sacris: partim interna, & mixta, ut participatio suffragiorum Ecclesiae, orationum communium applicatio, ad impetrandum à Deo aliquod beneficium. Porro Excommunicatio per se loquendo hominem prima illa communione non priuat, quia excommunicatus potest esse in gratia; sed per accidens, quatenus supponit, huiusmodi communionem esse sublatam. Priuat autem secunda, ac tertia. Tolet. l. 2. c. 4. Nauar. sum. c. 27. n. 1. Valen. tom. 4. d. 7. q. 17. p. 1. Bonac. de Censur. d. 2. q. 1. n. 2. Fill. tr. 12. n. 3. & 4.

⁴ Excommunicatio diuiditur in Maiorem, ac Minorem. Maior tribus illis bonis, scilicet participatione Sacramentorum, consortio fidelium, & suffragiis Ecclesiae priuat. Minor vero vno tantum bono, nempe Sacramentorum participatione. Maior non incurritur nisi ob mortale peccatum. Minor aliquando ob veniale. Porro in iure excommunicationis nomine simpliciter, Maior intelligitur, quae absolute dicitur excommunicatio. Quia verba absolute prolata in sua significatione simpliciter accipiuntur. cap. pen. de sent. excom. Tolet. l. 1. c. 5. n. 1. Conin. disp. 14. dub. 1. num. 5. Couarr. cap. Alma mater, p. 1. §. 8. n. 5.

⁵ Alia est à iure, alia ab homine. A iure est, quae per aliquem Canonem, statutum, vel constitutionem fulminatur. Ab homine, quae per aliquem Iudicem fertur. Vtraque vero vel est lata sententia, vel ferenda; id est, aut ipso iure seu facto incurritur absque ullius sententiae expectatione; aut est tantum cōminatoria, quae non statim ligat, sed desideratur sententia, per quam est fulminanda. Et quidem Excommunicatio tunc est lata sententiae, quando verbum praeteriti apponitur, v. gr. *Sis excommunicatus*. Pro excommunicato habeatur ipso iure, ipso facto. Cōminatoria erit, si adhibeatur aliquod verbum futuri, v. g. *Excommunicetur*, vel *sub pena excommunicationis*. Tolet. l. 1. c. 5. n. 3. & 4. Filliuc. tr. 12. n. 9.

⁶ Excommunicatio ab homine differt ab ea, quae est à iure: nam iuris excommunicatio semper est generalis, & determinatè fertur contra agentes, vel non agentes hoc, vel illud; quae autem est ab homine, aliquando est generalis, aliquando particularis contra determinatam personam. Lata ab homine cessat Iudicis vita cessante, vel quando ab officio remouetur, ita ut de nouo contrahentes non ligentur; lata autem à iure durat etiam mortuo Conditor, quandiu ius ipsum perseverat. Praeterea quando fertur à Canone, vel statuto pro futuris culpis ligat delinquentes intra territorium legislatoris, quamuis tempore legis lata, seu delicti subacti non essent respectu originis, vel domicilii; at sententia hominis comprehendit illos tantum qui tempore sententiae, sub Iudicis eam pro-

nunciantis iurisdictione continebantur, illique erant subditi. Quia sententia sumit vires incontinenti in eum, contra quem fertur; lex autem eum semper loquatur, obligat etiam eos, qui venturis temporibus subditi sunt futuri. Cap. *Et animarum*, §. *statuto*, de consuet. lib. 6. Nauar. sum. cap. 27. n. 2. Tolet. l. 1. cap. 5. num. 6. Syluest. verb. *Excommunicatio*, 2. n. 10. Bonac. de Censur. d. 2. q. 1. n. 4.



CAPVT II.

De excommunicationis causis.



⁷ A VSA efficiens Excommunicationis maioris est homo Ecclesiasticus, qui habet iurisdictionis potestatem fori exterioris ordinariae, vel delegatam non impeditam, siue ferat illam media lege, quae dicitur excommunicatio à iure; siue media sententia, quae dicitur ab homine. Vnde excommunicare potest Papa, Concilium Generale, vel Prouinciale, Episcopi, Capitulum sede vacante, Abbates, Generales, Ordinum, Prouinciales, Guardiani, Priores, Rectores, & quicumque Superiores habentes iurisdictionem Ecclesiasticam in exteriori foro. Deduxerim, seminam, laici autem, nec simplices Sacerdotes, quamuis Curatus sit, excommunicare non possent, nisi ex Summi Praesulis dispensatione, vel ex legitime praescripta consuetudine. Quia hi omnes iurisdictionem exteriorem non habent. Papa, & Concilium Generale possunt in quacumque Diocesi existant, per statutum, vel sententiam excommunicare. At Episcopus in Diocesi aliena non potest, nec subditos suos, nisi petita à proprio Diocesano licentia. Papa, & Concilium Generale quoscumque cuiusvis Diocesis potest excommunicare, at Praelati reliqui non nisi suos subditos. Aliquando tamen possunt excommunicare non subditos, nempe quando ratione delicti commissi in eorum territorio, vel ratione contractus ibidem ini, vel ratione rei ibi sitae, ad eorum iurisdictionem aliquo modo pertinent. Nauar. sum. c. 27. n. 46. Sayr. de Censur. l. 1. cap. 5. Suar. de Censur. d. 2. sect. 2. n. 1. & 2. Reginal. l. 9. n. 115. Tolet. l. 1. c. 6. Fill. tr. 12. n. 10. Bonac. de Censur. d. 1. q. 1. p. 2.

Causa materialis est duplex proxima, ac remotior. Proxima est peccatum mortale propriè externum, nec sufficit internum, quod ita mente lateat, ut agnosci non possit per reuelationem non valeat. Quia Ecclesia de mere internis non iudicat, nisi indirectè. Potest autè Ecclesia praecipere, vel prohibere internum actum, non secundum se, & directè, sed per ordinem ad actum externum, quem informat, vel qui nequit sine actu interno subsistere. Tolet. l. 1. c. 8. Sua. d. 4. sect. 2. Sayr. l. 9. c. 9. Col. n. d. 13. du. 8. Manu. sum. p. 1. c. 67. Fill. tr. 11. n. 138. & 162.

Ad contrahendam excommunicationem non sufficit peccatum praeteritum, nisi ad sit contumacia, nempe quando admonitus quis, ut à piaculo esset corrigi ob quodcumque enorme flagitium praeteritum excommunicari non debet. Quando vero fulminatur

Secl. I. De Excommunic. Recept. Sent. 187

nator excommunicatio in futurum, vel quia præcipitur aliquid faciendum, vel prohibetur, ne fiat, tunc si iustum sit quod præcipitur, resque grauis, in transgressores potest excommunicatio ferri. Sayr. lib. 1. cap. 5. num. 25. Filliuc. tract. 1. num. 185. Henric. lib. 13. cap. 17. Tolet. l. 1. c. 8. n. 2. & 3.

Ad incurtendam excommunicationem, aliamque censuram requiritur effectus completus, quem legislator intendit prohibere. Quia lex non ligat, nec operatur ultra legislatoris intentionem verbis expressam. Nisi sub Censura ipse conatus principaliter prohibeatur. Bonac. disp. 1. quest. 1. punct. 3. num. 9. Nauar. de penit. disp. 1. c. cap. cum autem, numer. 2. Vgolin. tab. 1. cap. 9.

Causa materialis remota, seu subiectiua excommunicationis est homo viator, determinatus, baptizatus, inferior, subditus. Hoc est, solus homo tam masculus, quam femina viuens; unde defunctus, dæmon, & animalia irrationabilia excommunicatione ligari non possunt. Quia effectus illius non sunt capaces. Determinatus. Vnde tota aliqua Vniuersitas, aut Collegium non potest excommunicari per sententiam, nisi in particulari excommunicandi distinguatur. Quia alias huiusmodi Censura intolerabili leni contineret errorem, cum sæpe contingeret, innocentes grauissima affici pœna Baptizatus. Vnde infideles, & Cathecumeni excommunicari non possunt. Quia Ecclesiæ membra non sunt, & illius legibus non subiiciuntur. Inferior. Nullus enim se ipsum excommunicare potest, sicut nec Superiorem, vnde Summus Pontifex à nullo potest excommunicari. Subditus demum debet esse, id est subiectus excommunicantis iurisdictioni; exempti namque priuilegio Apostolico nequeunt ab Ordinario ipso excommunicari, sicut & alij non subditi, nisi in tribus casibus expressis. Nauar. summ. c. 27. n. 13. Sayr. l. 1. c. 8. Suar. d. 5. sect. 1. Valq. de excomm. dub. 17. n. 8. Tolet. l. 1. c. 7. Reginald. l. 9. n. 133.

Formalis causa non sunt determinata verba, siue excommunicatio sit à iure, siue ab homine: sed sufficiunt quæcumque verba, aut scriptum, quæ iudicis sufficienter exprimat intentio. Quia nullo iure est cautum, excommunicationem per certa verba esse ferendam. Tamen verba, quibus excommunicatio fertur, debent significare de præseti, & practicè effectum. Quia si significant de futuro, vt Excommunicabo, &c. non inferretur Censura. Prater eaque debent executionem, non autem solam præceptionem continere. Fill. tr. 11. n. 53. § 3. 6. & 57. Suar. disp. 5. sect. 2. n. 16. Reginald. 9. n. 194. Coninch. d. 13. dub. 2. n. 23. Tolet. l. 1. c. 9.

Obseruanda sunt aliquæ circumstantiæ, quæ ad formam possunt quodammodo reduci, in circumstantiæ excommunicatione, quæ ad peccatum præteritum cum cōtumacia fertur. Primò requiritur, vt trina monitio præcedat, quæ excommunicandus prius admonetur, an velit parere; urgente tamen necessitate, fieri poterit, vt vna admonitio sufficiat. Ex iure colligitur, constituendos duos saltem dies interstitii pro singulis monitionibus: quævis Iudex possit interuallum ampliare, vel restringere ad breuius tempus, prout oportere cognouerit. Quædo autem vna admonitio sit, debent dari sex dies exprimendo, vt primi duo sint pro prima, secundi pro se.


Esch. & Mend. Theol. Moral. Tom. VI.

cunda, tertij pro tertia. Secundo requiritur, vt excommunicatio feratur non solo Iudicis verbo, sed in scriptis, quibus etiam exprimi debet excommunicationis causa. Vnde ferens excommunicationem solo verbo sine scriptura, & causæ expressione; aut qui parti petenti non concedit exemplar scripturæ intra mensem, si petatur, mortaliter peccat, & incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ per mensem. Attamen excommunicatio lata sine scriptura, vel sine causæ expressione, inualida non est. Quia scripturæ, seu causæ non censetur formæ substantialis, sed tantummodo accidentalis omisso. Suar. d. 3. sect. 1. 2. Sayr. l. 1. c. 12. Nauar. summ. c. 27. n. 11. Vgolin. tab. 1. c. 18. § 2. n. 4. Reginald. l. 9. n. 181. Henric. l. 13. c. 14. Coninch. d. 13. dub. 9. n. 83. Fill. tr. 11. n. 107. Bonacin. d. 1. qu. 3. punct. 8. Tolet. l. 1. c. 9.

De ratione etiam formali excommunicationis est, vt feratur circumstantia loci, seu proprii territorij, quando ad illam ferendam, opus est iurisdictione contentiosa, quæ extra proprium territorium nequit sine Ordinarij loci licentia exerceri: sicut nec in loco plene exempto, non ratione tantum personarum, vt sunt Ecclesiæ, ac Monasteria Religiosorum; sed ratione etiam ipsius loci. Quando autem non est opus huiusmodi iurisdictione, potest excommunicatio etiã in alieno territorio ferri. Quia ad illam ferendam non requiritur causæ cognitio, seu processus, aut strepitus iudicialis. Aulla p. 2. c. 3. d. 2. dub. i. Reginald. l. 9. n. 5. Nauar. summ. c. 27. n. 6. Sayr. l. 1. c. 14. n. 4. Coninch. d. 13. dub. 5. n. 64. Miranda q. 3. n. 8. concl. 3. Manu. tom. 2. qq. Regul. q. 9. a. i.

Allolet etiam in excommunicatione ferenda circumstantia temporis asseruari, vt scilicet non feratur feriato die, qui ex institutione, vel consuetudine Ecclesiæ cultui diuino dicatus est. Attamen si lata tunc temporis fuerit, non erit inualida. Quia etsi excommunicatio postulet causæ cognitionem, non tamen semper, & necessario eam requirit. Vgolin. tab. 1. cap. ultim. § 2. num. 3. Sayr. lib. 1. cap. 14. num. 6. & c. 7. numer. 17.

Demum finalis excommunicationis causa est bonum, & vtilitas hominis, vt resipiscat, & ad meliorem frugem se conuertat: vel vt à malo patrando retrahatur, iuxta illud 1. Corinth. i. Vt surgat à peccato, & saluus fiat in die Domini. datio. Cap. Medicinalis de sent. excommuni. in 6. Bonac. d. 1. q. 1. punct. ultim.



CAPVT III.

De Odo Excommunicationis maioris effectibus.

Primus est Communium Ecclesiæ suffragiorum priuatio. Communia autem, & generalia suffragia sunt quedã auxilia spiritualia, quæ à Clericis quatenus Ecclesiæ Ministris pro fidelibus offeruntur: qualia sunt Missæ, Sacrificium, Canonice orationes, supplicationes, &c. in quibus Clericus nomine, & in persona Ecclesiæ

14
Debet etiã circumstantia loci obseruari.

15
Et circumstantia temporis.

16
Causa finalis est boni, nis emendatio.

17
Primus est communium suffragiorum priuatio.